

I. N. J. C.  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
GENTILIUM  
ADMINICULIS  
IN  
VIRTUTE COLENDÀ,

---

QUAM

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. IN REGIA  
AD AURAM ACADEMIA,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNES  
BILMARK,

Hist. & Phil. Pract. PROFESS. Reg. & Ord.

*Candidis rerum Censoribus examinandam sistit*

AUCTOR

JACOBUS JOH. WIANDER,  
Tavastensis.

In AUDIT. SUP. Die XVIII Decemb. MDCCLXXVI.

H. A. M. C.

---

ABOÆ Impressit JOH. C. FRENCKELL, R. Ac. Typ.

Välborna Fru Vice Presidentkan,  
Fru BARBRO CATHARINA  
LAGERBORG,  
Född HISING,

EDER NÅDE.

Lycka och motgång äro vårt Släktes allmänna öden. Uti ingendera har Försynen lämnat mig lottlös. Bland mina gladaste dagar räknar jag med fullt skäl den tid, jag haft äran, at vara i EDER NÅDES Hus, såsom Dess välartade Herr Sons ledsagare uti Dygd och Vetenskaper. Jag bekänner otvungit min brist uti et så viktigt göromåls vårdiga bestridande; men kan tillika skryta af den fullkomligaste välmening i alt mitt företagande, från första in til denna stunden. Denna min nitiska vilja har EDER NÅDE ansedt och belönt med större välgjärningar, än jag kunnat förmoda, eller önska. Intagen af vördsammesta tacksamhet håremot, har jag ei kunnat undgå, at, vid detta tilfälle, inför allmänheten i dessa rader erkänna min förbindelse emot en så stor ynnest. At upresa en annan Arestod, är ej min höfva. Om denna driflighet nådigt anses, så ökes min erkänsla och högaktning, hvilken förbinder mig, at nu och framgent önska, det Allmagten vårdes förunnna EDER NÅDE och Dess Förnåma omvårdnad all den uptänkelige sällhet, som utgör de värkeligen lyckeligas glada lott. Framhårdar med djupesta vördnad

EDER NÅDES

Äldradämjukaste tjänare  
JACOB J. WILANDER.



*PRÆFATIO.*

**D**um oculos nostros per theatrum hujus mundi circumferimus, dumque maxima & minima, quæ nobis passim occurrunt, sollicita mentis cura expendimus, post DEUM O. M. nihil præstantius, & nihil quod ad generis humani tranquillitatem atque felicitatem magis conducat, reperire licet, præter eximium illud cœli depositum, ipsam virtutem. Quamobrem etiam in laudibus hujus prædicandis, ipsaque adeo commendanda omnes, quorum meliori de luto finxit præcordia Titan, studium atque industriam suam posuerunt. Quamvis itaque nos eundem campum ingredientes, iliada post Homerum canere multis videamur; attamen sicut nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur, ita in commendationem almæ virtutis pauca præfaminis loco attulisse haud pigebit. Hæc igitur suam primo exferit præstantiam in eo, quod homines, per lapsum primorum parentum a DEO aversos, ad DEUM iterum reducat, eique acceptos reddat. Sicut enim singulæ Divinæ actiones totidem sunt virtutes, vocabulo hocce in eminentissimo significatu sumto; ita quoque paternæ benignitatis ac beneficentiæ adfectum in illos extendit, quos voluntati atque mandatis suis sese convenienter gerere videt: immo





homines, in virtute colenda negotiosi, in sinu gratiae Divinae quasi otari possunt, siquidem de tenera Ejus cura & firmissimo patrocinio sint certissimi. Porro officiis erga se ipsum satisfacit homo, qui virtuti sedulam navat operam. Tendit enim homo ad felicitatis fruitionem; quid vero felicius, quam in quocunque rerum nostrarum statu nulla pallefcere culpa, sed pacato esse animo, quo demum nos fata trahant, retrahantque. Hanc vero internam tranquillitatem sicut vitia turbant; ita eandem confirmat ac promovet assidua virtutum cultura. Ingruant itaque adversitatum procellae, & fortuna, quae probis raro est propensa, probum opprimere studeat, hic mox DEUM, sicut optimam Helicen, respicit; cujus ope & comite virtute si frementes undique fluctus penitus declinare nequeat, non tamen animum despondet, sed inter saevas tempestates blanda agit halcyonia. Virtus igitur proprium hominis bonum merito censetur, & unicum, quod in hac vita contingit mortali immortale. Denique virtus hominem homini conciliat, & firmissima est societatis copula. Quid enim ab illis non speramus, aut quam ne libenter illis credimus, quos virtutibus praeceteris eminere animadvertimus? Id quod eo usque valet, ut eos etiam, quos nunquam vidimus, sed propter virtutem, probitatem & doctrinam ab aliis celebrari audivimus, impense diligamus, & nomen eorum laudibus atque voluntate ad caelum usque efferamus. Quibus omnibus virtutis fructibus consideratis, nemo amplius mirabitur, quod non illi solum, qui-



quibus sanior & melior scientiarum Lux exorta est, virtutem quovis pretio præstantiorem esse censuerint, sed illi etiam, qui a vera DEI & genuinæ virtutis cognitione fuerunt remoti, virtutem reliquis tam naturæ, quam fortunæ bonis esse anteponendam judicaverint, sicut Græcorum & Romanorum scripta pleraque monstrant. Cumque virtus non ad facultates homini congenitas pertineat, sed ad eas sit referenda, quas, adjuvante Summo Numine, quisque sibi comparare debet, operæ pretium omnibus, qui virtutem in deliciis habent, nos facturos existimamus, si præcipua adminicula, quibus in comparanda & excolenda virtute usi sint gentiles, succincte explicemus.

### §. I.

Quamvis verba, quæ in frontispicio dissertationis nostræ occurrunt, satis clara videantur; a proposito tamen nostro non erit alienum, eadem breviter exponere. Per *virtutem* itaque intelligimus *serium studium perfectionibus Divinis convenienter actiones suas componendi*. Vi cujus definitionis virtutes ac boni mores idem ferme significant. Nam *qu' est ce que les bonnes mœurs!* quærit quidam ex Recentioribus Philosophis & respondet: *C' est une conduite réglée sur la connoissance & l'amour de la vertu. Je dis la connoissance & l'amour: car faute de connoître la vertu, on n' a que les mœurs du peuple, & faute de l'aimer, on n' a que les mœurs des Grands; c' est à dire, qu' on n' en a point.*



*Il faut la connoître pour l'aimer; Et quand on l'aime, on la pratique infailliblement (a).* Gentiles autem nuncupantur, qui cultui Idololatrico adhærent, & a Christiana Religione sunt alieni. Dicuntur etiam *Pagani*, & quidem vel metaphorice, ut nonnulli volunt, quod ab Ecclesia DEI remoti, Christo capiti fidem suam sacramenti religione non obstrinxerint, vel rectius, quod homines, Idololatricis superstitionibus addiæti, in pagis seu rure præcipue commorarentur; ibique sua haberent delubra. A Svecis dicuntur *Hedningar*, a voce *heed*, quæ denotat loca agrestia, imprimis, quæ *ericis* luxuriant: unde *Hedemarken*, planities quævis inculta. *Adminiculum* denique est vox ab Hortulanis mutuo sumpta, & significat sustentacula, quibus teneræ vites & arbutæ incumbunt, sine quibus humi reperent, nec in altum sese attollere possent. Per *Adminicula Virtutum* igitur intelligimus bona quælibet, quæ culturam virtutum apud homines promovent.

---

(a) Vide *Les Mœurs*.

## §. II.

Sicut circa quamlibet actionem patranda plura communiter occurrunt circumstantiarum momenta, quæ simul sumpta moralitatem actionis constituunt; ita patet, quod varii dentur virtutum gradus. Quamobrem Moralistæ distinguunt virtutes in *Naturales* seu



seu *Philosophicas*, & *Supernaturales* seu *Christianas*.  
*Illæ* sunt, quæ nituntur motivis, qualia ratio sibi reli-  
 cta & Revelationis luce nondum collustrata adsequitur;  
*hæ* autem nituntur motivis, ex verbo DEI revelato  
 petitis. Scilicet quum habitus ea faciendi, quæ cum  
 Lege Divina conveniunt, aut per naturæ vires, aut  
 accedente gratia acquiri possit; virtus etiam vel *Natu-  
 ralis* vel *Christiana* erit. Ut vero hæc melius in-  
 telligantur, sciendum est, quod *Virtus Christiana* sit  
 ardens & constans studium, omnes & internos & ex-  
 ternos animi & corporis motus, libertatis capaces,  
 ad voluntatem DEI O. M. in sacris litteris patefa-  
 ctam accurate dirigendi, ex vero ac vivo DEI Cre-  
 atoris, Redemptoris ac Sanctificatoris amore generatum  
 atque in manifestationem gloriæ Divinæ, atque veram  
 sui & aliorum felicitatem tendens, exquisitissimaque  
 voluptate animum permulcens. *Virtus autem Natu-  
 ralis* est cessans, non constans propositum ita sese ge-  
 rendi, ut tota vita cum dictamine sanæ rationis con-  
 venire videatur, ortum partim ex amore DEI, par-  
 tim quoque ex amore sui, ideoque partim Divinam,  
 partim propriam gloriam, amicorum patriæque uti-  
 litatem pro scopo habens, & in tantum sui cultorem  
 delectans, in quantum sibi vel favorem DEI vel ho-  
 norem sui peperisse videatur.

§. III.

Sicut DEUS solem in centro systematis nostri  
 planetarii constituit, ut radiis suis dissiparet noctis te-  
 nebras,



nebras, hominibus, per diurnos labores occupatis, clarissimam præberet lucem, & vitam ac calorem cunctis impertiret corporibus; ita idem summus rerum Moderator Religionem nobis concessit, ut naturalem mentis caliginem illius luce minueremus, virtutibus advesfieremus, atque ita nobis aditum ad exoptatam felicitatem pararemus. Neminem tamen esse arbitramur, qui ignoret, quod Religio Naturalis nostri respectu multis laboret defectibus, aut quod eadem non sufficiat hominibus in studio virtutum rite manuducendis; interim tamen creperam hujus lucem in pretio habere debent, atque in id incumbere, ut ad plenioram DEI notitiam perveniant. Cælesti autem hocce palladio rite non sunt usi Gentiles, qui Religionem variis commentis ita deformarunt, ut tenebris caliginem addiderint. Crescente autem ignorantia, creverunt simul superstitionum chasmata; unde factum, ut dum simplex plebecula quempiam animadverteret, qui egregiis & in genus nostrum beneficis gestis inclaresceret, hunc mox dignum censuerit, qui DEORUM numero adscriberetur, prudentioribus vulgi opinione, velut torrente, vel abreptis vel eidem oblectari non valentibus, certe non audentibus. Sed quum vix ullum fugeret, quod plerique horum heroum, dum viverent, innocentiae ac virtutum exempla non fuerint, Diis quoque suis vitia quaedam tribuere non dubitarunt. Quis enim ignorat, quod HOMERUS nullum non flagitiorum genus Diis suis tribuat; qualia si patrarent homines, aliorum consortio indigni habitii, vel



vel e medio tollerentur, vel ad extremos Garamantas ablegarentur. Quæ licet ita sint, diffiteri tamen non possumus, quin inter densa errorum Religiosorum apud Gentiles lolia promineant subinde spicæ sanioris doctrinæ & dogmata virtutum culturæ non inimica. Immo quo simpliciores fuerunt populi, eo etiam plerumque remotiores erant a memoratis deliriis. Sic plerisque Gentilium fuit persuasum, quod DEUS piorum benignam agat curam, quod bonis delectetur actionibus, malos autem non dimittat impunitos, & quod sicut egregios viros lauta post hanc vitam manent præmia, ita maleferiati rigidissimos subirent cruciatus; quibus motivis admodum excitari potuerunt Gentiles ad virtutum culturam.

#### §. IV.

Sicut delubra gentilium non raro fuerunt flagitiorum palæstræ (a); ita Philosophiæ præceptis a perversa vita ad meliorem frugem & virtutum culturam haud pauci revocabantur. Non equidem diffitemur, quin Philisophia Gentilium, quæ ex ignorantiae tenebris caput exserere incepit, multis defectibus ac nævis laboraverit; erant tamen multa Philosophorum placita Moralia, si modo Cynicos & quosdam alios hinc excipiamus, quos nequitiarum Magistros quis non inepte dixerit, ad praxin & vitæ emendationem directa. Nam quum homines, quantumvis corrupti, nihil adeo desiderent, quam intemeratam felicitatem,



Philosophi etiam doctrinam de summo bono, ut eruditionis promissidem Auditoribus suis proposuerunt. Sive autem Summum Bonum cum Platonicis constituitur in conjunctione hominis cum DEO, sive cum Aristotelicis in virtutum cultura, sive cum Epicuro in voluptate animi, ejusque tranquillitate, omnes hæc opiniones huc collineant, quod summum bonum, scopus ille actionum humanarum, haud obtineri queat, nisi homines virtutibus sedulam navent operam. Et quum veteres experientia didicissent, quod virtutum alumnis nihil fere æque impedimento esset, quam adfectus, de horum moderamine varias, nec omnino contemnendas regulas discipulis suis proposuerunt. Reprehenduntur quidem Stoici, quod adfectus esse extirpandos docuerint, quodque suum sapientem, quem in exemplar vitæ innocentis sîxerunt, *ἀπαθής* esse voluerint. Mitius tamen de Stoicis judicabit, quisquis ex eorum scriptis cognoverit, quod non omnes adfectus eradicandos, sed violentissimos tantum eorum impetus, felicitati ac tranquillitati humanæ tantopere adversos, esse subigendos docuerint. Præterea varias virtutes, uti justitiam, fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, aliasque non solum civibus suis explicuerunt Gentilium Philosophi, & quantum ingenio & eloquio valuerunt, commendarunt, sed insuper ut eorum discipuli in illis sese exercerent, id quod nos præstantissimum judicamus, sedulo elaborarunt, se ipsos exemplum abstinentiæ & continentiæ *ἑαυτοῖς* exhibentes. In rem igitur præsentem egregie



prorsus differit CICERO: *O! vitæ Philosophia dux, O! virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te potuisset? Tu urbes peperisti: Tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti: Tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugis, tum litterarum ac vocum communione junxisti: Tu inventrix legum: Tu magistra morum & disciplinæ fuisti (a).* Adde, quod si quædam Gentilium Philosophorum placita nimis ardua & viribus humanis superiora fuerint, magnis tamen exemplis & rebus gestis occasionem præbuerint.

---

(a) *In Quæst. Tuscul. 5. init. fol. 271.*

### §. V.

Tertium, quod adhibuerunt Gentiles, adminiculum in colenda virtute, constituebat sollicita & apud multos sobria liberorum educatio. Liberi enim Gentilium vel ab ipsis parentibus vel saltem in conspectu eorum tamdiu erudiebantur, donec ad eam ætatem & prudentiam pervenissent, ut propriam constituere ac regere possent familiam. Largimur equidem, quod ea tempestate pauci admodum parentes amplissima morum præcepta liberorum suorum animis instillare potuerint; non sic tamen virtutes neglexerunt, quum quicquid liberi accipiebant, ad praxin vitæ deducere tenerentur, bonas actiones committentes, a malis autem abstinentes. Et quum pleræque veterum republicæ non admodum amplæ essent, factum quoque est,





est, partim ut ipsi Principes vel Magistratus supremam educationis liberorum civium curam atque inspectionem in se susceperint, partim etiam Censores constituerint, qui in negligentiam, fœcordiam, aliaque minora vitia animadverterent, interea dum Judices facinorosos promeritis mactarent pœnis. Præterea quum paucæ gentes longinqua tunc itinera commerciorum causa inirent; nec peregrina vitia cum exoticis mercibus in civitates facile irrepserunt, sed cives avitam simplicitatem, integritatem & gravitatem diu conservarunt. Nec omnino erit reticendum, quod si qui tunc essent parentes lautioris fortis, qui pluribus quotidie implicabantur negotiis, quam ut ipsi liberorum suorum educationi satis vacare possent, hos viris expertæ probitatis, prudentiæ ac fortitudinis institutendos tradiderint, qui curam agebant, tum ut corpora puerorum, suæ fidei commissorum, firmarentur, tum ut animi virtutum sensu imbuerentur; id quod tam aliorum populorum, quam imprimis veterum Hyperboreorum, Historiæ adfatim docent.

## §. VI.

Porro ea est ingenii humani *indoles*, ut non tam præceptis, quantumlibet egregiis, quam potius opinione & præcipue exemplis eorum, qui in aliqua vivunt dignitate, moveamur. Valent scilicet exempla in utramque partem; si enim præclara fuerint, boni in exercitio virtutum confirmantur; mali autem, licet



cet frontem perfricent, tacito tamen suffunduntur rubore; si vero prava sint exempla, boni ad peccandum auctoritate magnorum virorum sollicitantur, & mali habent, quo scelera sua palliare, vel saltem eadem graviter excusare possunt. Quare veteres Gentiles de eo fuerunt solliciti, ut idonea exempla liberis suppeditarent, atque tam venustam virtutum formam, quam summam vitiorum deformitatem ad vivum illis exprimerent. Hinc sollemnia exercitia varii generis illis proponebant, nec non cantilenis eos celebrabant, quos virtutibus eminere intelligerent, adeo ut eorum laudes cum admiratione modularentur. Ut Spartani ebrietatis turpitudinem animis filiorum suorum alte imprimerent, servos, quos Helotas vocabant, nam cum ingenuis experimentum capere, iniquum & tantum non inhumanum putarunt, inebriandos curarunt, atque ad eos, vino repletos, introduxerunt filios, ut turpitudine illa ob oculos ipsis posita, a vinolentia fortius avocarentur; satis persuasi, plus ipsum conspectum, quam præcepta valere (a).

---

(a) Vid. *PLUTARCHUM* in *LPCURGO*.

### §. VII.

Ulterius quum virtutis semita sit admodum aspera, in qua molestiarum spinæ incedentium plantas sæpe lacerant; igitur ne virtutum alumni in proposito stadio deficerent, veteres Gentiles varios honores atque præmia ipsis decreverunt, quos virtutibus cæte-



ros antecellere cognoverunt. Non tamen propterea est existimandum, quod gentiles veteres semper fuerint æqui meritorum æstimatores; nam, qua erant cæcitate, eas præcipue actiones admirabantur, quæ & magnam & longinquam sui famam relinquerent, licet illæ non raro cum gravissima reipublicæ jactura fuerint conjunctæ; dum placidæ virtutes, tranquillitatem ac felicitatem publicam promoventes, sæpe exagitarentur, sæpius vero contemnerentur. Quis enim ignorat, quod pleræque gentes fortitudini sagatæ plus, quam togatæ tribuerint? Sed ad virtutum adminiculum modo memoratum, scilicet præmia virtutum, e brevi hoc diverticulo revertimur. Hæc diversi fuerunt generis, nec tam ex interno pretio, quam ex raritate æstimabantur. Coronas aureas & æneas **ALCIBIADI** reduci ob liberatam patriam donarunt Athenienses; quibus ille adeo fuit commotus, ut lacrymis agnoverit tantam civium suorum benevolentiam. Verum credere par est, quod **QUINTUS FABIVS MAXIMVS** se a populo Romano non minus ornatum censuerit, dum secundo bello Punico coronam gramineam, quippe qui honos insolens & plane extraordinarius tunc erat, obtinisset. Præcipue vero Heroibus statuas posuit grata posteritas; quæ genio veterum tanto magis convenerunt, quod crederent, sese subducturos nomen suum edacitati temporis, mortisque rapacitati, si post fata viverent in ære, aut in marmore in statuas animato spirarent inanimas. Quantum hæc valuerint ad virtutum culturam





ram promovendam, duobus tantummodo exemplis nunc ostendemus. Quum THEMISTOCLES, adhuc Juvenis, videret MILTIADIS imaginem in publico loco constitutam, & audiret, gloriam ejus propter Marathoniam pugnam omnium ore celebrari, cogitabundus plerumque visus, a consuetis abstinuit computationibus, noctesque agens insomnes, causam ægritudinis sciscitantibus, respondit: *Quod Miltiadis tropæa somnum ipsi adimerent (a)*. Simile est exemplum Julii Cæsaris, de quo testatur Svetonius: *Quod animadversa apud Herculis templum Magni ALEXANDRI imagine ingemuerit, & quasi pertasus ignaviam suam, quod nihil dum memorabile actum esset in ætate, qua Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuo efflagitaverit ad captandas quam primum majorum rerum occasiones (b)*.

---

(a) Vid. PLUTARCH. in vita Themistoclis. (b) In vita Julii Cæsaris.

### §. VIII.

Sicut Leges civiles, dum homines præsentissimis poenis intra officiorum orbitam continent, firma sunt vitiorum repagula; ita simul pro eximiis virtutum adminiculis merito habentur. De qua re quum pervasi essent veterum Legislatores, nec ignorarent, quantum boni mores ad felicitatem civilem conferant, in legibus ferendis virtutum culturam intenderunt. Quod vero omne punctum in isthoc negotio tulerint, non alius adferet, quam qui veterum prudentiæ plus justo



justo tribuerit. Nos contra fatemur, quod in quibusdam eorum legibus graves appareant nævi; quos tamen non tam pravis consiliis, quam potius ignorantiae & horridis, quibus vixerunt, temporibus adscribimus. Sic dum Lycurgus flagitia quædam Lacedæmoniis permisit, ut corpora eorum firmarentur & animi exercerentur, ne adversitatum, forte ingruentium, molibus succumberent, quisque videt, illum corrupisse egregium canonem: *Quod non facienda sint mala, ut inde eveniant bona.* Deinde in pœnis definiendis non curarunt, quod tamen æquum fuisset, ut illæ scelerum magnitudini essent proportionatæ; quo tamen instituto interdum sunt consecuti, ut æque a levibus flagitiis ac gravissimis facinoribus deterrentur homines. Tales fuerunt leges DRACONIS, Legislatoris Atheniensis, de quibus proinde non immerito quis dixit: *Leges has non hominis, sed Draconis fuisse.* Denique licet tam Ostracismus apud Athenienses, quam Petalismus apud Syracusanos talia videantur instituta, quæ virtutibus essent contraria; at tamen quum isthoc castigationis genere illi tantummodo mulctarentur, qui gloria, divitiis & æstimatione cæteros superarent, uterque potius ad cautelas est referendus, quibus populus, libertatis amans, impediebat, ne quis auctoritate sua, virtutibus nixa, in detrimentum Patriæ abuteretur. Hoc igitur modo cives indicabant, sese non virtutem tantum, sed eminentiam virtutum ejus, qui in exilium pellebatur, agnoscere; quare Ostracismum adeo in honestis posue-

fuerunt Athenienses, ut dum *Hyperbolus*, homo nec virtuosus, nec clarus, testarum suffragiis esset damnatus, cives sui indigne ferentes, iudicium illud derisum ac mutatum, omnino illud sustulerint, & in posterum prorsus omiserint.

### §. IX.

Ad virtutum adminicula apud Gentiles referimus quoque ipsam regiminis formam, quippe quæ in plerisque veteribus civitatibus fuit libera. Est autem, cæu notum ponimus, hujus imperii indoles talis, ut quisque, cujus pectus generoso incoctum est honesto, necesse habeat, virtutibus tam intellectualibus, quam moralibus studere. Quum enim luculentis tantummodo meritis ad honorum gradus in his paretur aditus, nec quisquam fere sit, nisi quem vel fœcordia inhabilem, vel flagitia indignum reddiderunt, qui in partem imperii aliquando venire non potest; igitur ne spe, quam de se conceperunt cives sui, excidat, opus omnino est, ut variarum rerum notitiam sibi acquirat, quæ illustri adeo provinciæ non dicam exornandæ, sed aliquantum solummodo tuendæ sufficiat. Ex quibus patet, quod in libero regimine tanta sit virtutis præstantia; ut nulla fere negotia rite suscipi, nedum ad felicem perducere queant exitum, nisi virtute comite gerantur. Quare atjam Illustris MONTESQUIEU: *Le sanctuaire de l'honneur, de la reputation & de la vertu semble être établi dans les républiques & dans les pays, où l'on peut prononcer le mot de Patrie (a).* Fatemur omnino, fundamentum

C

harum





harum virtutum nequaquam esse sinceram ac genuinam; effectus tamen earundem in vita civili prorsus condemnari non potest.

(a) Vid. *Lettres Persan.* p. m. 204.

§. X.

Ad virtutum adminicula pertinent etiam procul dubio *Bona Fortunæ*, ut opes, & ejusmodi plura, quibus virtutis actio promovetur. Negari quidem non potest, quin opes ac divitiæ amplæ multis sint viti-  
 rum adminicula, juxta illud Poëtæ: *Effodiuntur opes, irritamenta malorum*, ipsa tamen talia sunt, non sua ipsarum culpa, sed utentium levitate; injuste enim eis ad-  
 fingitur vitium, quod animo possessoris inest. Recte itaque bona fortunæ inter virtutum adminicula referuntur. Non equidem superfluum eorum postulamus abundantiam, sed quantum ad vitam honeste sustentandam, & functiones suas rite obeundas necesse est. Incidere enim possunt ejusmodi casus, ut alteri aliquid denegare sine nostra pernicie non possimus, propterea quod in illius aere toti sumus, nec tamen postulatis ejus satisfacere possumus, nisi nostram graviter lædamus conscientiam. Adeoque fateri necesse est, quod ob defectum bonorum fortunæ, multæ non raro prætermittantur virtutis actiones, adeo ut amplius dubitari nequeat, quin illa ad virtutis operationes edendas homini sint necessaria. Sed dicat quispiam: fluxa & inconstantia esse fortunæ bona, quæ cum constante virtute nihil habent commune. Esto ita. Sint bona hæc fluxa, sint caduca: sint tamen mihi adminicula virtutum,



tum, quamdiu adsunt. Dum divitiis fruor, liberalis esse possum & egenos juvare, opesque in meum & aliorum commodum convertere. Contra ea, quoties nec curta domi supellex honestissimas etiam actiones impedit, & optimum propositum sufflaminat.

§. XI.

Ad virtutis culturam magis, quod miremur, confert paupertas, quam divitiarum abundantia. Neque enim aliud est paupertas, quam compendiaria ad virtutem via, brevisque & concinna legum observandarum institutio. Divites multis bene vivendi præceptis atque operosis Philosophiæ disciplinis ad bonos mores informantur. Quod illa verbo svaadet; paupertas opere cogit: tanto melior temperantiæ ac moderati animi auctor, quanto necessitatis imperium est validius exhortationum incitamentis. Testor experientiam, quæ docet, quod plures virtutum alumni ex sordidis pauperum cæcis, quam ex splendidis divitum palatiis prodierint. Si enim neque obsequor voluptati, neque oblector ludis ac conviviis, neque de ullum gutturi ventrique meo gaudium, neque incedo per hominum ora magnifice, nec esseror infinitis cupiditatibus, non finit egestas me hoc facere, quamvis forte voluntas adesset. Fames nunquam conscivit adulterium, neque pecuniæ inopia admittit luxuriam. Omnem impotentis animi cupiditatem, qua si nobis infesti sumus, paupertas refrenat, fractoque impetu exarmat, ac si feris, mansvescere edocet, dentes quoque & ungvium aciem subtraxeris. Dedit scit suam pertinaciam voluptatis desiderium, & quum nul-

nullum habeat alendæ luxuriæ pabulum, statim refrigeratur. Hebescit superbiæ stimulus, vilis despectæque inopiæ fastidio retusus. Ira, invidia, timor, tumor, audacia & cætera mentium inquietarum mala in paupertate, velut alimentis destituta incendia, exspirant.

## §. XII.

Atque hæc ipsa de adminiculis virtutum apud Gentiles pro præsentis rerum nostrarum habitu dicta sufficiant. Ex quibus luculenter constare arbitramur, quod provida Summi Numinis cura nihil intermiserit, quo homines ad virtutum cognitionem atque exercitium deduceret. Quare in foro Divino habentur inexcusabiles, & promeritis adficientur pœnis, quotquot adminicula hæc vel negligent, vel plane omittant. Quid igitur non metuent Christiani, qui non creperam virtutum auroram, ut Gentiles, intuentur, sed in meridie lucis Cælestis versantur, & quibus ex gratia ineffabili necessarias concedit vires, ut in virtutum stadio proficiant, si nuntium virtutibus mittant, & vitiorum cæno per totam vitam inhæreant? His certe applicabitur sententia SALVATORIS Nostri: *Servus, qui noverit voluntatem Domini sui, & non fecerit, duplo vapulabit*, Luc. XII. 47. Quod ne nobis contingat, fac Optime DEUS, ut almam jugiter sectemur virtutem, non eam modo, quam Gentilium nobis tradit Philosophia, sed quam sanctissima Tua nos docent Oracula, eaque curatissime agamus, quibus Summi Tui NOMINIS promoveatur

## GLORIA.

